

**II. LITTERAE UNIVERSALES CONTRIBUTIONUM PUBLICARUM
IN CONVENTU PIOTRCOVIENSI GENERALI DECRETARUM
DATAE 4 FEBRUARII ANNO 1533^a**

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae etc. dominus et heres. Universis et singulis ecclesiasticis et saecularibus consiliariis regni nostri, ceterisque subditis nostris quibuscunque, tam terrestribus quam civitatum et oppidorum honoribus et officiis insignitis, ad quorum notitiam praesentes nostrae litterae pervenerint, et praesertim in ^bpalatinatu Posnaniensi^b et districtibus eius consistentibus, sincere nobis et fidelibus dilectis, gratiam regiam. Reverendissimi ac reverendi in Christo patres, nec non magnifici, generosi, nobiles, famati et providi, sincere nobis et fideles nostri dilecti. Nulli est incognitum quae pericula regno nostro in dies propius immineant, aliis regnis ac dominiis, quae paucis ab hinc annis nobis erant praesidio, nunc iam ab in fidelibus ita attritis et con fractis, et illorum impetum nequaquam deinceps viribus suis sustinere posse videantur, et cum *voiewoda* Moldauiensi, ac caesare Thartarorum Praecopensis nulla certa pace nobis intercedente. Cum itaque ipsum regnum nostrum hiis tot ac tantis periculis expositum, continua defensione indigeat, quae per communem regnicolarum motionem ita crebro uti res exigit, certa aut diuturna esse non posset. Statueramus hunc conventum generalem ad consulendum de ea defensione quae ad inopitatos hostium insultus magis oportuna et expeditior fieri posse videretur. Igitur perpendentes quanto subditis nostris sit dispendio communis motio, considerantes etiam ullam^c esse tutiorem et commodiorem provisionem quam praesidia militum mercenariorum. De communi omnium consiliariorum tam spiritualium quam saecularium, ac nuntiorum terrestrium huc missorum sententia et consensu, contributiones infrascriptas ad annum praesentem pro servandis ipsis praesidiis decrevimus et constituimus, quae modo infrascripto solvi et exigi debebunt.

In primis coloni seu kmethones tam villarum nostratum regalia quam omnium spiritualium et saecularium subditorum nostrorum, in toto regno nostro, de singulo manso seu laneo possessionato duodecim grossos, de medio vero laneo sex grossos. De quarta parte lanei tres grossos et reliquum de quantitate laneorum, secundum antiquas quietantias, ad duas temporum ratas infrascriptas solvent, octo grossos videlicet pro die festo sancti Adalberti [23 IV 1533] et quattuor grossos pro die festo sancti Laurentii proxime futuro [10 VIII 1533].

Nobiles vero qui colonos seu kmethones non habent, solvet quilibet eorum de quolibet laneo suo seu manso octo grossos duntaxat pro utraque rata praedicta, quattuor grossos videlicet pro festo sancti Adalberti, et alios quattuor pro festo sancti Laurentii proximo. Illi vero nobiles qui praedia et non laneos habent, computatis istiusmodi praediis in laneos seu mansos, solvent pro utraque rata, de quolibet laneo seu manso octo grossos. De medio laneo seu manso quattuor grossos. De quarta parte lanei seu mansi duos grossos, et reliquum de quantitate laneorum. Ubi autem duo, tres aut quattuor pauperes nobiles unum laneum colunt, solvent omnes simul de huiusmodi uno laneo etiam pro utraque rata octo grossos, alias quisque illorum solvet secundum quantitatem agri et portionem lanei seu mansi, medietatem videlicet pro die festo sancti Adalberti et aliam medietatem pro die festo sancti Laurentii proximo.

Similiter advocati et sculteti non habentes colonos se kmethones, solvent de suis laneis seu mansis per octo grossos. Advocati vero seu sculteti kmethones habentes nihil solvent, verum ipsi kmethones eorum id quod kmethones dominorum ac nobilium contribuent, hoc est de quolibet laneo duodecim grossos ad duas ratas temporum supradictas.

Item civitates et oppida, tam nostra regia quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium, in toto regno nostro, exactionem civilem, quam *schoss* vocant, unam duntaxat integram, iuxta antiquas quietantias solvent et contribuent, cuiusquidem exactionis civilis medietas una solvi debet pro die festo sancti Adalberti, alia vero medietas eiusdem exactionis civilis contribui debet pro die festo sancti Laurentii proximo.

Quae autem civitates et oppida libertatem habent a civili exactione, nihil contribuent. Idem de villis vastatis, exustis et libertatem habentibus, quae non solvunt censum dominis suis est

^a W egzemplarzu B. Kórń. brak karty tytułowej. ^{b-b} Dopisane ręcznie. ^c W tekście: uullam.

intelligendum, ita quod incolae huiusmodi villarum liberi sint et esse debeant a solutione contributionis in praesenti conventu institutae.

Item contributio cerevisiae, vini, medonis, malmatici, muscatelli, *czopowe* dicta, in hisdem civitatibus et oppidis, ac etiam tabernis villarum, tam nostris quam subditorum nostrorum spiritualium ac saecularium, incipiendo a festo Annuntiationis Sanctae Mariae proxime venturo [25 III 1533], ad integrum annum, a singulis cerevisiae cocturis more solito solvetur, ex quibuscunque braseis fuerit eadem cerevisia cocta, sive brasea ipsa sint civium et dominorum ex molendinis provenientia et emensurata, sive domi facta.

Item etiam a cerevisia quam domini et nobiles ex braseis suis coquunt seu braxant, et illam dant ad propinandum suis tabernatoribus, ab eadem cerevisia exactionem ducillorum ipsi tabernatores et quisque eorum per sex grossos solvet, ac etiam a cerevisia externa, quae de externis regionibus et ducatibus, nobis et regno nostro non subiectis, ad ipsum regnum nostrum ducitur, ut Swidnicensi, Theschnensi, Bernouiensi, Glogouiensi et alia quacunque contributio ipsa *czopowe* solvatur. Qui vero nobiles subditi nostri pro sua domestica necessitate et usu proprio coqui faciunt cerevisiam in civitatibus et oppidis, contributionem *czopowe* ab illa non solvent. Si autem illam ad propinandum suis aut alienis tabernatoribus dederint, ab illa contributionem *czopowe*^d tabernatores ipsi solvere tenebuntur.

Item tabernatores hereditarii, sive sint dominorum, sive advocatorum sive sculterorum, qui agros habent, ab illis contributionem solvent iuxta agrorum quantitatem, hoc est de singulo laneo seu manso pro prima rata praedicta octo grossos. De medio laneo seu manso quattuor grossos, et reliquum de quantitate laneorum. Pro secunda vero rata solvent de quolibet manso quattuor grossos. De medio manso duos grossos. Exactionem vero ducillorum a singulis cocturis cerevisiae more consueto solvere nihilominus erunt astricti.

Alii autem tabernatores manuales, qui advectitiam propinant cerevisiam sex grossos semel ad duas temporum ratas supradictas solvere debent et hi contributionem *czopowe* non solvent, cum non coquant cerevisiam, sed aliunde illam ad propinandum adducunt^e.

Item molendina omnium villarum, tam nostratum quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium, quae *poyszne* vocantur, manuales seu anniversarios molendinatos habentia ex singulis rotis sex grossos solvent. Quae vero molendina deserta sunt, et in eis frumenta non moluntur, illa seu eorum molendinatos nihil solvent. Hereditarii vero molendinatos dictarum villarum et *folusche*, ex singulis rotis molendinorum suorum, quae *ualne* dicuntur, duodecem grossos persolvent ad ratas temporum supradictas, videlicet octo grossos pro prima, et quattuor grossos pro ultima ratas.

Item molendina brasealia et hereditaria, aquatica et equestria, in omnibus civitatibus et oppidis, more veteri taxata, contributionem unam integram quae *schoss* dicitur solvent, medietatem videlicet pro die festo sancti Adalberti et alteram medietatem pro die festo sancti Laurentii^f proximo.

Et similiter illa molendina quorum tertias mensuras tenutarii bonorum nostrorum regionum exemerunt, et illas a se emptas, seu in summis pecuniarum obligatas tenent, ad usum et utilitatem suam, solvent contributionem quae *schoss* dicitur, sicut reliqua omnia molendina in regno seu illorum molendinatos eam solvere solent, contraria consuetudine, quae corruptela potius dici debet, penitus non obstante.

Quorum autem molendinorum nostrorum tertiam mensuram capitanei nostri de mandato nostro et pecuniis nostris redemerint ad nostram utilitatem, ex illa nihil solvi debebit.

Minerariae vero officinae, alias ferrum facientes, et serrae hereditariae, ex singulis rotis octo grossos solvent. Annales autem officinae minerariae, et similiter annales serrae, hoc est locatae seu conducticiae, a qualibet rota sex grossos, medietatem videlicet pro prima rata et aliam medietatem pro secunda rata solvere debebunt.

Item molendina ventilia hereditaria octo grossos. Illa vero ventilia molendina quae anniversarios molendinatos habent sex grossos solvent ad ratas duas temporum supradictas, hoc est medietatem pro festo sancti Adalberti proximo et aliam medietatem pro festo sancti Laurentii.

^d W tekście: *czopowe*. ^e W tekście: *adducunt*. ^f W tekście: *Lauruntii*.

Item sacerdotes Rutheni qui popones vocantur, ex singulis ecclesiis et synagogis suis mediam sexagenam grossorum solvent. Prothopopones vero, alias *namiestnici*, per duos florenos in moneta solvent.

Item Valachi ex singulis laneis integris si illos habent, vel arcis quae *dworzisza* dicuntur, sex grossos solvent. Et qui agros non habent, a singulo centenario ovium, similiter sex grossos persolvent, tres videlicet pro prima et reliquos tres grossos pro secunda ratis superius expressis.

Ut autem supradicta ordinatio in exigendis contributionibus facta debite executioni demandetur, in ^gpalatinatu Posnaniensi^g et districtibus eius generosum ^hNicolaum Xyąski^h exactorem constituimus et designavimus, praesentibusque litteris nostris designamus. Et mandamus vobis ut in manus eius pro designatis temporibus easdem contributiones persolvere curetis. Vobis vero capitaneis quorum interest mandamus, ut praefato exactori nostro pro ratis et temporibus superius expressis, sub poenis ad hoc constitutis, absque cuiusvis more et dilationis intervntu de dictis contributionibus per eos ad quos pertinet responderi faciatis, et vos ipsi respondeatis. Negligentes vero in solvendo et contumaces per pignorationes et alias poenas solitas ad solvendum easdem contributiones compellatis. Pro officio vestro et gratia nostra facturi. Datum Pyotrkouiae in conventionem generali feria tertia proxima ante festum sanctae Agatae anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo tertio [4 II 1533], regni vero nostri anno vigesimo septimo. Ad mandatum regiae maiestatis proprium.

Exactores contributionum publicarum in praeterito conventu Piotrkouiensi decretarumⁱ.

In palatinatu Posnaniensi: generosus Nicolaus Xyanski. In palatinatu Calissiensi Andreas Grodziński¹. In palatinatu Syradiensi Ioannes Liezinski capitaneus Przedboriensis. In palatinatu Lanciciensi Nikolaus Pyaskowski castellanus Conariensis. In palatinatu Brzestensi Iheronimus Makowyczki iudex Brzestens. In palatinatu Iuniwladislawiensi Florianus Comorowski. In palatinatu Plocensi Roslanus Criski. In terra Rawensi Mathias Blandowski. In terra Sochaczowiensi dominus Mikolayowski iudex ibidem. In terra Gosthinensi Paczinski thesaurarius Gosthinensis. In terra Warschowiensi: dominus Cziolek iudex terrae Warschowiensis. In terra Wischegradensi et Zaczoczimensi Andreas Lelowski. In terra Cziechanowiensi et Rosanensi generosus Michael Czerznychski subiudex terrae Cziechanowiensis. In terra Lomzensi et Visnensi Alexander Ilowski. In terra Dobrzinensi Martinus Chelmyczki notarius ibidem. In terra Czernensi et Lywensi Stiborius Swyerski subiudex Czernensis. In palatinatu Cracowiensi Nicolaus Thaschyczki iudex. In palatinatu Sandomiriensi Domarath¹. In palatinatu Russiae Nicolaus Dersnyak iudex. In palatinatu Podoliae Andreas Czermyski. In palatinatu Lublinensi Paulus Szczekoczki. In palatinatu Belzensi et terra Chelmensi Felix Zamoyscki.

III. LITTERAE, QUIBUS SIGISMUNDUS PRIMUS REX POLONIAE CAVET ORDINIBUS TERRARUM MAIORIS POLONIAE, QUOD ID, QUOD IPSI CONTRIBUTIONES IN CONVENTU GENERALI PIOTRCOVIENSI SINE ILLIS CONSTITUTAS SUSCEPERINT, PRAEIUDICARE NON DEBEAT ILLORUM IURIBUS ET LIBERTATIBUS NEQUE IN EXEMPLUM ET SEQUELAM CEDERE

^aSignificamus etc.^a Quia nos fidem et propensionem in nos et rem publicam regni nostri dignitariorum et officialium ac nobilitatis terrae et palatinatus Posnaniensis quemadmodum et ante in aliis magnis et arduis nostris et ipsius rei publicae negotiis, ita etiam in hoc testatam et gratam habentes, quod ipsi propter defensionem regni nostri adversus hostes nostros Moldavos et

^g^g *Dopisane ręcznie.* ^h^h *Dopisane ręcznie.* ⁱ *Jest to tekst zaczerpnięty z MK², t. 48, s. 649, 650, gdzie nosi datę 8 marca 1533 r. Opublikowany został w AT, t. XV, nr 124, s. 168, 169.* ^j *Nazwiska nie wpisano.*

^a^a *W rękopisie powtórzone.*

¹ *Poborca ten zastąpiony został później przez Benedykta Izdbieńskiego. Por. List Piotra Tomickiego do Benedykta Izdbieńskiego z 23 maja 1533 r., AT, t. XV, nr 273, s. 376, 377.*